

7  
D. GEORG. FRANC. HOFFMANN

VEGETABILIA

CRYPTOGAMA.



---

1787.



ILLVSTRISSIMO. GENEROSISSIMO.

ATQVE.

EXCELLENTISSIMO.

F R I D E R I C O . C A R O L O .

S. R. I. LIBERO. BARONI.

DE. S E C K E N D O R F .

DYNASTAE. IN. SVGENHEIM. WOHNFORDTH.

VNTERLEINLEITEN. CAETERA.

SERENISSIMO. MARGGRAVIO. BRANDENBVRGICO.

A. CONSILII. INTIMIS.

TERRIS. BRANDENBVRGO - CVLMBACENSIBVS.

SVMMO. PRAEFECTO. CAETERA.

PRINCIPI. EORVM. QVIBVS.

VNIVERSITATIS. FRIDERICO - ALEXANDRINAE.

CVRA. DEMANDATA. EST.

MVSARVM. PATRONO.

ET.

IMMORTALI. SCIENTIARVM. ALTORI.

HVNC.


VEGETABILIVM. FASCICVLVM.

DEMISSAE. OBSERVANTIAE.

ERGO.

DEVOTE. SACRAT.

GEORGIVS. FRANCISCVS. HOFFMANN.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22463744>



## P R A E F A T I O.

---

Constitui in nonnullis fasciculis vel novâ vel minus cognita et obscuriora vegetabilia ex cryptogamica classe, quoad fieri poterit, accuratius non solum verbis definire, sed figuris etiam, in quibus praecipuum ponimus auxilium, naturali forma et si opus est augmento, per lentem modice augmentem illustrare; praesertim ea quorum termini nondum plane limitati et circumscripti sunt, quaeque ob singularem et uniformem, nudis saltem oculis sic apparentem, naturam, ultimas regni vegetabilis limites indicare vel potius constituere videntur. Huius generis sunt Sphaeriae, Tremellae, Mucorres et Trichiae, Byssi, Confervae etc. Sphaeriae quidem in hoc primo fasciculo agmen ducunt, quae sequuntur Tremellae nonnullae, claudent. Et priores quidem, quae in omni dumcto, in exarido et deiecto ligno frequenter occurrere et enasci solent, paucorum quod demiror observantium attentionem et industriam hactenus in se deflexere. Siquidem omnium primus MICHELIVS venit nominandus, qui earum non solum mentionem fecit, sed proprium quoque genus (Lichen - agaricos eas

vocat, quasi planta inter Lichenem et Agaricum) ex iis composuit, sequentibus innixum characteribus. Lichen-agaricus inquit est plantae genus, floribus apetalis, subrotundis vel filo nodoso-formibus sterilibus et nudis, scilicet calyce, pistillo atque staminibus destitutis, et massae gelatinosae affixis, quae massa reconditur in cavitate receptaculi sphaerici vel cylindracei, vel supra vel infra plantarum superficiem locati. Semina autem prae-terea rotunda, nitida et solitaria in exteriori plantarum parte summitatem versus tanquam pollen nascentia. Hisce notis addit substantiam et crassitiam plantarum, quas potius ad Agaricum quam ad Lichenem pertinere opinatur \*). Caeterum plantas disposuit in ordines a situ et colloca-tione receptaculi desumptos, et species nonnullas delineari ac in aëre incidere curavit, maximam vero partem breviter et non satis definitis verbis indicavit, sic ut species a varietatibus ex vaga et ambigua ejus specifica descriptione quam difficillime eruantur. Porro b. HALLERVS hoc genus plantarum recepit nomenque, Sphaeriae imposuit; at in generis caractere paulo discessit a MICHELII ejus determinatione, fructumque (quem MICHELIVS receptaculum floris dixit) non flores sphaericum denominavit, additque illum esse pulvere carbonario plenum, quem per orificium proprium effundat. In cohortes etiam species, quarum nonnullae saltem novae, collegit, prout nempe vel solitariae vel po-

\*) MICH. *gen. pl.* 103. *Tab.* 54. 55.

lysphaeriae, vel caulescentes eae videbantur. Amplexus quidem est hanc de generis caractere hallerianam sententiam cel. WEIGELIVS \*), magis tamen expositam et confirmatam eam reddidit, quod ex hujus viri expositione generis melius intelligitur. Sphaerae semper sunt (inquit l. c.) s. corpora globosa cava, quippe non semper exacte circinnatae sunt, sed saepe oblongae aliaeque figurae ad sphaericam accedentis; foramine non semper conspicuo; nec ipsae semper adsunt; si adsunt manent; in specie penultima (Sphaeria Lycoperdoides) perfectissima si est deficiunt, postea adsunt; ergo fructus non flores. Neque pulvis carbonarius solus adest. Est nempe quod in specie ultima (Sphaeria Carchariae) optime videndum, intra Sphaerulae corticem coriaceum s. corneum, sacculus e membrana tenui tela contexta formatus, continens pulvisculum, ut plurimum nigrum, in juniore tamen saepe pallidiorem, in aliis rubrum, filis tenuibus intertextum. Haec fila optime apparent in juniore (Sphaeria pertusa). Pulveris corpusculorum figuram oculo armato nondum detegere potui. Erit itaque Character generis sequens. Sphaera cava non dehiscens, continens sacculum membranaceum massa pulverulenta repletum. Haec ille. Specierum numerum non parum auxit vir cel., plerasque vero iconibus ob oculos posuit. Vt non male dici possit MICHELIVS generis characteres constituisse,

a 2

\*) *obs. bot.* 41. (*Gryphinae* 1772. 4.)

HALLERVS eos confirmasse, WEIGELIVS autem explicasse.

Inter linnaeana genera nondum receptae sunt Sphaeriae, aliquas tamen in variorum Botanicorum scriptis quasi dispalatas subinde reperies. Ill. SCOPOLI inter illos praecipue nominari debet, qui nomen similibus quibusdam vegetabilibus, ADANSONII conservavit, scilicet Valfae ab hoc dicuntur \*). Nuperrime autem cel. LATOVRRETTE in eleganti Chloride sua \*\*), DICKSON in nitido fasciculo cryptogamicarum plantarum \*\*\*), et etiam BATSCII in elenchi fungorum prima continuatione \*\*\*\*) species nonnullas huius generis de novo in memoriam revocarunt et explicarunt. Certe omnibus computatis Sphaeriis quadragenarium numerum jam superant.

Cum Lichenum quorundam natura praesertim crustaceorum convenire quidem videntur; sed ab iis tamen scutellarum defectu, situ ac collocatione Sphaerularum, ut nihil dicam de interna earum fabrica profus omnino differunt. Etenim Lichenum scutellae vel tubercula de crusta aliqua continuo eminent, hae vero, si solitariae crescunt aut crusta carent, aut si circumpositam habent, ut gregariae, sub ea potius, vel tamen sub alieno involucro, ex corticis cuticula plerumque texto constanter latent, ostio-

\*) SCOP. *flor. carn. ed. 2.* 397. ADANS. *famil. plant.* 9.

\*\*\*) *Chloris lugdunensis* 1785. 8. (Lugduni-gallorum.)

\*\*\*\*) DICKSON *fasciculus plant. crypt.* 1785. 4. (Londini.)

\*\*\*\*\*) BATSCII *continuat. elench. fung. prima* 1786. 4. (Halae.)



lis solummodo in superficie prominentibus. Praeterea Sphaeriis intus neque solida neque carnosae est medulla, sed eas potius gelatina vel pulverulenta materia farctas invenies. In siccitate autem vel vetustate omnes fere cavae reperiuntur, quae nisi irrigatae humore, intumescunt tum gelatina, iterum replentur. Quod quidem non parum (praesertim earum quae sub cortice aliquo occultantur) seminis dispersionem adjuvare et promovere videtur. Semina enim, quae vel gelatinae vel farinosae massae inhaerent, ope hujus quae nunc in globulum compingitur, ut in Sphaeria Carpini, vel in fila varie contorquetur, ut in Sphaeria cirrosa, vel denique guttatim defluit, facilius extra capsulam feruntur et dispergi possunt. Sed iis vero caulescentibus, qualis est Sphaeria digitata, etiam a natura provisum est; cutis enim dilacerata et fissa exitum seminibus parat viamque aperit. Etiam si priorem modum quibusdam contingere non negaverim, observationibus immortalis SCHMIDELII in affinem plantam innixus, quae *Clayaria simplex oblonga pulvinata* audit \*), cujusque superficies unionibus albissimis seu Sphaeriis in egregium spectaculum ornata videtur, quae demum farinaccos globulos ex orificio propellunt.

Caeteroquin Sphaeriae potissimum compositae seu gregariae, in pulposa et singulari quadam substantia, quae neque pulverulenta neque carnosae dici potest, nidulantur

\*) *Icon. plant. ed. 2. p. 18. Tab. IV-V. fig. 1-3.*

et quasi infixae sunt, ut Sphaeria deusta, disciformis etc. exemplo esse possunt. In caulescentibus tamen haec substantia magis fibrosa et solida adparet, in iis vero quae cortici innascuntur magis pulverulenta. Hanc si diffecaveris et accuratius perlustraveris, pulverem saepius colore diversum a reliqua substantia, subtilissimum quidem et in junioribus Sphaeriis plerumque frequentiore, vel nudis vel armatis oculis facile observabis; cujus rei exemplo sunt, ut ex multis saltem aliquas nominem, Sphaeria fragiformis, in cujus media parte luteus conspicitur pulvis, Sphaeria virescens, quae admodum copioso et persistente virescenti pulvere constare adparet; caulescentibus vero Sphaeriis ut plurimum in externa superficie apicem versus albidus, vel rufus vel cinereus talis pulvis adpersus est. In plerisque autem ut jam monui ante perfectam earum maturitatem facilius conspicitur, aetate vero, et exsiccata et evanescente sensim pulpofa illa substantia, evanescit simulac omnis pulvis, et plerumque nudas remanentes capsulas invenies. Haec si ad rationem perpendamus (liceat mihi opinionem qualemcunque meam proferre, usque certius evincitur fructificationis etiam Sphaeriarum modus) non male cum pollinis natura, quem etiam pulvis ille sub lente aequae forma ac situ refert, consentire videntur; ut Sphaerias juveniles germinis officio fungi dixissem, quae mascula virtute intra substantiam illam latente, foecundatae, demum ut seminales capsulae in conspectum prodirent; ge-

nerisque character ad linneanam normam compositus, effet: Masc. Cal. o. Coroll. o. Receptaculum pulpofum, cui pollen innatum, vel in cujus superficie fparfum. Fem. Cal. o. Germen ovatum, Stigma fimplex perfiftens prominulum. Capsula fubrotunda, unilocularis, apice aperta. Semina minutiffima, gelatinae vel farinae affixa.

Pauca adhuc fuperfunt de Tremellarum natura admonenda. Fruftificationes in hifce vix manifeftae, nifi granula velis in superficie fubftantiae uniformis, pellucidae, membranaceae, gelatinofae denique, hinc inde fparfa pro feminibus habere. Planta alioquin etiam videtur vivipara effe, ut in Tremella Noftoc non femel obfervare contigit, granula parva, magnitudine Uivae granulatae fere, fenfim in membranam illam fugacem explicata fuiffe. Similitudinem haud parvam oftendit cum propagationis modo Confervae fontinalis, quam ita dextre obfervavit et aeque eleganter expofuit ill. BLUMENBACH \*). Elongato enim et anterius intumefcente fimplici filo huius Confervae, refiliebat parvum tuberculum, mox in fimile cum matre filum (circiter fpatio 24. hor.) elongatum et extenfum.

Ex fententia ADANSONII et noviffime cel. FONTANAE \*\*) Tremellis quaedam affinitas cum animali effet natura, motumque liberum, fenfibilitatem, et incli-

b 2

\*) Ueber den Bildungstrieb etc. p. 47-54. (Goettingen 1781.)

\*\*) Observations de la physique par Mr. l'abbé ROZIER p. 41.

nationem ad versus radios solares in iis observari, sicque hae transitum regni vegetabilis, in animale regionem ostendere et ultimam feriem illius excipere. Sed ut nil dicam quod inclinationem lucem versus, etiam alii docti viri in minutis plantulis, quales sunt Confervae, Ulvae etc. observarint \*), certe jam antea simile quiddam cum motu libero et irritabilitate, in majoribus plantis observatum est; ut in Mimosis variis, in Dianoea muscipula \*\*), in Hedysaro gyrante \*\*\*) , nec minus circa fructificationis praesertim a cel. MEDICO \*\*\*\*), quarundam vegetabilium partes, ut Parnassiae et Parietariae etc. Haec vero ex interna potius earum structura, et aeris ac lucis conditione, quam ab irritabilitatis (ut Physiologis dicitur) aliquo vero gradu evenire videntur.

Scripsi Erlangae, Ann. MDCCLXXXVII, mens. Mart.

\*) *Offervazioni microscopiche, sulla Tremella e sulla circulatione de fluido in una pianta acquajuola dell' Abate BONAV. CORTI Lucca 1774. D. IOH. MAYERS Beobachtungen über die Befruchtungstheile einer Ulva. Naturf. 17. St. 1782.*

\*\*\*) D. SCHREBERS *Beschreibung der Dianoea muscipula.* (Erlangen 1780. 4.)

\*\*\*\*) KERNERS *Beobachtung über die Süßklee Pflanze.* (Stuttgart 1784. 4.)

\*\*\*\*\*) *Hist. et commentat. Acad. palat. Vol. III. p. 116-192.*



TABVLA I.

FIG. I.

I. SPHAERIA CARPINI.

Sphaeria Carpini, composita, atra, spiculis minutissimis terminata.

Sphaeria spiculosa *Batsch elench. fung. 274. tab. 30. fig. 187.*

Lichen agaricus crustaceus, niger, et veluti deustus, sub soluta arborum dejectarum cute innascens, capsulis oblongis, cylindraceis *Mich. gen. 105?*

Habitat in foliis Carpini delapsis.

In averfa foliorum superficie facile observantur nigrae maculae, ab aciculae mediocris capite ad lentis magnitudinem, sparsae etiam adproximatae; harum si acrioribus oculis intueamur structuram, acervulos elevatos, spinulis nigris subtilissimis, confitos et perforatos videbimus. In superiori pagina nubecula nigricans margine dilutioris coloris huius acervuli locum designat. Oculo perlustrati armato, plures minores colliculi distincti (1—12), stylum erectum, rigidum, apicem versus sensum crassiolem et in extremitate subtilissimo puncto perforatum, colore nigro, trajicere conspiciuntur (a); et quilibet colliculus proprium emittit stylum, origine sua albido circulari ore, vel tamen minutissimis laciniis praecinctum. In humiditate ex styli orificio frequentius, etiamsi antea plantula exsiccata fuerit, massa albida propellitur, in globuli formam sensim compacta, tumque decidua (e f). Acervuli accuratius considerati, adparent ab utraque folii lamina, hoc loco incrassata et nigra confici, quarum intercepta cavitas nigros utriculos seu Sphaerias rotundas, facile cum suo insidente stylo eximendas occultat (b). Massa albida in humido viscosa, in sicco pulverulenta circumfluit undique illas, neque minus cum stylo

laminam superiorem perforante transmittitur, illudque effingit circumfluum osculum. Sphaerula dissecta intus vel viscosum liquorem, vel fementivum pulverem coercere conspicitur.

### EXPLICATIO FIGURAE I.

#### TAB. I.

Folium Carpini supina parte adumbratur, cum spiculosis acervulis.

A distinctus acervulus naturali et aucta magnitudine.

B alius dissectus cum stylis globulo terminatis, naturali et auctiore mole.

C colliculus unum stylum gerens.

D Sphaeria ad perpendiculum dissecta, ut styli insertio et cavitas conspici queat.

E variae Sphaerulae partim globulo insidente.

F partim jam delapso depictae, circuloque illo basi stylum circumfluente, nativa et aucta mole; laminae particula nonnullis adhaeret.

G a superiori visa Sphaeria depulso stylo, coronula vero adstante.

H femina minutissima et aucta.

Fig. 1.






Fig. 2.







## TABVLA I.

FIG. 2.

## 2. SPHAERIA DEVSTA.

Sphaeria deusta, composita convexa reniformis nigra.

Sphaeria Lycoperdoides var.  $\delta$  maxima *Latourrette chlor. lugd.* 40.

Lycoperdon fraxineum *Huds. fl. angl. ed. 2.* 641.

Sphaeria maxima *Web. spicil.* 286. *Dicks. fasc. plant. crypt.* 23.

Sphaeria maxima convexa nigerrima *Hall. hist.* 2192.

Lichen-agaricus crustaceus, crassus, Bovinum renem veluti repraesentans, niger, et quasi deustus *Mich. gen.* 104. *ord.* 2. *tab.* 54. *fig.* 1.

Habitat in fylvis ad radices et truncos putridos arborum.

Crusta nigra et veluti deusta, carboni similis, in terra ad putridos truncos vel radices occurrit uncialis biuncialis diametro, convexa et inaequali superficie, in colliculos quasi depressa, per ambitum rotundata, renis bovini non male exprimit figuram. Superficies innumeris elevatis punctis conspersa est. Natura sicca et friabilis ne aqua quidem emollienda. Disfracta crusta etiam nigra, duplici componitur lamina: superiori tenuissima quidem et poris pertusa, inferiori altera crassa fungosa, qua putrido ligno adnascitur, colore ex nigro fuscescente. Spatium quod hae laminae intercipiunt in juniore magis complanata crusta solidum fere, et multis acervatis nigris, saepe compressis Sphaerulis repletum, in adultiore vero non raro cavum et exsiccatum reperitur. Sphaeriae sat magnae, subovatae vel rotundae (b) collo vix notabili instructae, adnascuntur superiori laminae, et papillam vel puncta illa nigra in superficie procrudunt, subtiliter perforata (b). Siquidem cutis separata et ab interna parte conspecta non perforata sed voveis tantum capsularum impressa et concava reperitur, attamen cultello abrasis illis punctis adparent forami-

nula Sphaeriarum. Sphaerias carbonarius pulvis implet. Inter propria septula nidulare videntur.

o B s. polline subviridi etiam adpersam vidi crustam; forsan alienae stirpis foboles.

## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

### TAB. I.

Exhibetur integerrima hujus Sphaeriae crusta, ligno adnata, quae saepe varias subit deformationes.

A transversim sectus colliculus ut interior Sphaeriarum situs adpareat, auctiori et naturali mole.

B duae Sphaerulae, quarum altera cum laminae particula adhaerente, altera libera papilla conspicitur, nativa et aucta magnitudine.

C pulvis feminalis per lentem magis extendentem pictus.

---

TABVLA II.

FIG. I.

3. SPHAERIA BVLLATA.

Sphaeria bullata, composita convexa nigra, carne alba.

Lycoperdon nigrum *Huds. fl. angl. ed. 2. 644?*

Lichen - agaricus bullatus, parvus, ex obscuro nigricans, sub cute emortuarum arborum *Mich. gen. 105. ord. 2. tab. 54. fig. 2.*

Lichenoides tuberculofum compressum nigrum lignis putridis adnascens. *Dill. hist. 127. tab. 18. fig. 7.*

Habitat in cortice.

E cortice rupto in rotundam, oblongam vel ovatam figuram explanantur tubercula nigra, pisi circiter magnitudine, hemisphaerica, etiam depressiora, undique plerumque epidermide corticis circumsepta; sed radices altius in corticis quidem substantiam agunt. Per vitream lentem ea subtuberculosa adparent quae antea aequalia videbantur (a), et aliquae ex eminentioribus papillis perforatae observantur. Dissectum tuber (b) solidam et albam prodit naturam, permultis acervatis Sphaeriis perfossam, ovatis vel ovalibus, nigris. Inhaerent illae tenui orificio cortici tuberis nigro, intraque tuberculorum fissuras aperiuntur. Intus Sphaeriae in siccitate cavae, et araneosa tela saepius vestitae.

obs. occurrit non raro alia Sphaeria in ramulorum praesertim epidermide, de qua facile depellitur, et maculam solummodo nigram relinquit, nigra, tuberculosa, arida, intus pulverulenta nigra; Sphaeriae minores sunt, concolores. A priori ut putaverim discernenda, haecque esse videtur Sphaeria atra convexa carne nigra *Hall. hist. 2187.* et Sphaeria Lycoperdoides var.  $\beta$  *Weig. obs. 47.* Albidum quid ex superioris superficie non raro efflorescere vidi.

B ..

---

EXPLICATIO FIGURAE I.

TAB. 2.

Pingitur corticis particula, quae plures hujus Sphaeriae ostendit bullas, quarum nonnullae confluere videntur, aliae vero eminente epidermide ita cinguntur, ut eas capsulis insidere crederes.

A monticulus singulus lente vitrea conspectus, ubi colliculi nonnulli perforati adparent.

B is per transversum dissectus, ut Sphaeriarum collocatio ac situs observari possint.

C Sphaerula una ex minoribus quae saepius irregulariter majoribus subjectæ sunt, nativa et extensa figura.

---

 TABVLA II.

FIG. 2.

## 4. SPHAERIA STIGMA.

Sphaeria Stigma, composita corticalis nigra punctata.

Lichen-agaricus obscurus, in arborum corticibus, et praecipue ad Ilices innascens, superficie laevi, et veluti subhirsuta *Mich. gen. 105. tab. 55. fig. 2.*

Habitat in ramis arborum emortuis.

Vulgatissima haec ex Sphaeriarum genere nascitur sub corticis epidernide, fissa ac resiliente denique, ubi late serpit corticisque nigri adinstar ramulos undique investit; crusta plana ramulo accommodata, transversim rimosa, e fusco nigricans vel nigra, in nonnullis quasi pruina tecta; lineam crassa, ambitu rotundata, saepe reniformis, etiam depressa. Superficies innumeris et minutissimis punctis sparsa, ope lentis perlustrata in aliis annulos planos crustae impressos quasi, in aliis prominentes papillas (a) ordine ac serie collocatas oculis intuentibus offert. Cultello praefecata crusta carne subfusca vel albida, et innumeris nigris punctis farcta conspicitur; haec, Sphaeriae sunt oblongae vel rotundae, intus si prius irrorentur gelatina repletae, ostiolum suum in perforatam ac prominentem illam papillam producentes. Sphaeriae emotae vestigia suae figurae in carne relinquunt.

obs. supercrefcit nigram crustam elegans Peziza granati coloris pelucentis, sed nudis oculis ob parvitatem cerni vix potest, tenuissimam Byssum referens.

---

**EXPLICATIO FIGVRAE 2.****TAB. 2.**

Corticis fragmentum exhibetur, epidermide detracta; nigra quidem est crusta, sed hic quasi albida depicta, ut melius puncta observari queant.

**A** particula crustae praefecatae cum Sphaeriis sub ea collocatis, nativa et aucta magnitudine.

**B** integra Sphaeria, eadem

**C** dissecta.

**D** pulvis feminalis. Partim naturali mole, partim ad lentem haec augmentata pinguntur.

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.





Fig. 4.







## TABVLA II.

- FIG. 3.

## 5. SPHAERIA PVLVINATA.

Sphaeria pulvinata, composita atra convexa tuberculosa.

Habitat in cortice putrescentis trunci.

De fisso cortice erumpunt pulvilli nigri, femuncialis saepe magnitudinis, rotundi et convexi, undique epidermide circumsepti; in superficie tuberculosi quidem, aegre vero pori aut Sphaeriarum ostiola observari possunt. Intra cavitatem congeriem abscondunt Sphaeriarum, duplici forma. Sunt enim nonnullae majores oblongae, poliline nigro repletae (c), nonnullae vero subrotundae (d) materia fungosa nivea farctae, imbricatim locatae, omnes vero nigrae.

Obs. occurrit varietas tuberculis in conum prominentibus, unde hispidus adparet pulvillus (a). Forsan aliqui pro adultiore Sphaeria fragiformi habuerint. Aetate puncta in superficie quasi acicula pertusa conspiciuntur.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 2.

Proponitur fragmentum ligni cum pulvillis innascentibus, epidermide cinctis, diametro naturali maximeque frequentiori.

- A varietas hujus Sphaeriae prominentibus nigris tuberculis, mole auctiore depicta.
- B dissectus pulvillus ventose tumens, carne albida solida, adultior vero sordide fusca fibrosa farctus, Sphaerias diversa forma ac situ complectens.
- C ex majoribus Sphaeria, truncata, aucta parum mole, altera nativa forma.
- D ex minoribus rotundis Sphaeria, transversim secta, mole auctior, et naturali magnitudine.

C

## TABVLA II.

FIG. 4.

## 6. SPHAERIA FLAVOVIRESCENS.

Sphaeria flavo-virescens, composita convexo-plana nigra discifera flavo-viridis.

Habitat in ligno putrido et ramulis emortuis.

Vel in nudo ligno vel in cortice, epidermide undique septi proveniunt disci plani, semunciali latitudine, in reniformem, rotundatam vel oblongam et irregularem faciem extensi, etiam alii pulvillis non dissimiles, convexo-plani; punctati verrucosi, atri et asperi. Oculo conspecti armato ex tuberculis nigris, quae sunt Sphaeriarum ostiola, quorum nonnulla perforata, et dissecata, pulvere flavo-virescente, in quo Sphaeriae nigrae ovatae, serie locatae (b) nidulantur, constare adparent. Capsulae seu Sphaeriae ovatae labio tumido, depresso in medio, instructae (c), intus viscosam atram materiam coercent.

Obs. flavescente polline vel viridi-flavo carne, statim, cultello crusta defra, prodeunte, constanter et facile a consimilibus haec Sphaeria distinguui potest. Cavernulas in carne relinquunt exemptae Sphaeriae.

## EXPLICATIO FIGURAE 4.

TAB. 2.

Pulvilli hujus Sphaeriae in fragmento ligni abietini crescentes.

A mole auctiore depictus talis, ubi etiam verrucae nonnullae perforatae conspici possunt.

B pulvillus talis transversim secatus, Sphaeriis aliis integris, aliis cultello vulneratis.

C emotae Sphaeriae, naturali et extensiore forma cum tumidis labiis in medio depressis curiose propositae.

## TABVLA III.

FIG. I.

## 7. SPHAERIA CORNVTA.

*Sphaeria cornuta*, palmata compressa nigra *Delamarck fl. franc.*  
126.

*Sphaeria digitata* *Latourrette chlor. lugd.* 41. var.  $\alpha$  apice albo,  
 $\beta$  simplex,  $\gamma$  ramosa,  $\delta$  palmata. *Web. spicil.* 287.

*Valsa digitata* *Scop. carn.* ed. 2. 1413.

*Sphaeria nigerrima aspera*, palmata, cornubus planis, carnosus  
pulverulentis *Hall. hist.* 2194.

Lichen - agaricus nigricans, ligno adnascens, plerumque multifidus,  
et compressus, ima parte villosus, summa vero glaber, albidus,  
et pulverulentus *Mich. gen.* 104. *tab. 55. fig. 1.* (promiscue cum  
*Sph. digitata* pingitur).

Habitat in sylvis ad putridos arborum truncos, in pomariis umbro-  
sis, in aridis lignis asseribusque.

Figura multifariam abludit. Cornua juniora simplicia sunt,  
torta, sensim majora, divisa, ultra mediam saepe partem, denique  
adultiora digitata apice bifida, trifida acuta, etiam obtusa, fordide  
fusca, varie flexa, compressa; albido - farinacea. Petiolus teretiuscu-  
lus, inaequali crassitie, semper modice compressus, hirsutiae nigrae  
obductus, uncialis, biuncialis, superiorem versus partem rugosus,  
atris tuberculis asper. Cornu oblique dissectum ostendit nigra puncta  
in alba carne per ambitum nidulantia (a). Haec, Sphaeriae sunt,  
quae sub cortice petioli latent, ovatae, protrudentes ostium tube-  
rosorum ultra superficiem petioli, intus atro et viscoso liquore repletae.

obs. in errore versantur ii, qui hanc Sphaeriarum speciem cum *Clav.*  
*Hypoxylon Linnaei* commiscent, quam procul dubio diversam satis

evincunt icon *Mentz. pug. tab. 6.* et longe elegantior ill. *Willichii obs. bot. tab. 3. fig. 5.* In hac nusquam occurrunt Sphaeriae, substantia hujus est nigra, flexilior et mollior, magis etiam compressa sunt cornua et petiolus, nigra quidem et hirsuta aequae ut in priori, et locus natalis consimilis, nihilo tamen minus ex adlatis notis a superiori distinguenda. Radices hujus Sphaeriae intricatae prolixae divaricatae inter corticem et lignum esse debent *Hall. l. c.*, quas potius ni fallor pro Lich. radiciformi sic a *cel. Web.* nominato habuissim; faltem nostra planta facile a putrido ligno abrumpi vel abscindi se finit, absque radicularum vestigiis. In juniore planta ita sparsae et exiguae sunt Sphaeriae, ut penitus nullas existere credas. Forfan hic spectat *Clav. hirta Batfeb. elencb. fung. fig. 160?*

### EXPLICATIO FIGURAE I.

TAB. 3.


Proponitur sylva hujus Sphaeriae omnis aetatis, ex putrido trunco enata.

- A oblique dissectum cornu,
- B particula hujus lente perlustrata.
- C Sphaeria singula nativa et aucta magnitudine.

Fig. 1.



Fig. 2.





## TABVLA III.

FIG. 2.

## 8. SPHAERIA MAMMIFORMIS.

*Sphaeria mammiformis*, solitaria crustacea nigra.

*Sphaeria mammiformis* *Dickf. fasc. plant. crypt. 24.*

*Sphaeria solitaria mammiformis*, olivacea *Hall. bist. 2181.*

Lichen-agaricus crustaceus, initio subhirsutus, et oleae conditae coloris, per ficitatem glaber, niger, et veluti deustus, receptaculis florum mammiformibus, elegantissimis *Mich. gen. 104. tab. 55. fig. 1.*

Habitat in emortuo arborum cortice, etiam ad radices.

Crusta modice crassa est, colliculosa, fordide flava cum virore aliquo, vel etiam albido-fusca, in ficitate potissimum rimosa, hirsuta non raro ut *Michelius* dixit et furfurosa, sed forsan ab alieno corpore. Ex hac protuberant agminata tubercula praesertim novella, Licheni pertuso quodammodo similia, quae sensim explicantur in rotundam et nigram haemisphaeriam, crusta undique arcte tectam: Neque haec magnitudinem mediocri aciculae capitis excedit. In ea vero ope lentis papillam minimam vel annulatum porum incrementem observabis (a). Cavitas Sphaeriarum nigro polline plena, in exsiccatis vacua, parietibus saepe rubris.

OBS. intra crustam cartilagineam juniores Sphaeriae penitus latent, demum superior pars haemisphaerica, sed crusta arcte involuta, eminent, ut difficilius haec ab illa separetur. Sub cartilaginea epidernide medulla viridis observatur.

---

**EXPLICATIO FIGVRAE 2.**

TAB. 3.

Fragmentum pingitur lignosi corticis de radice arboris dissectum, cornea quasi crusta et eminente paululum, ex qua Sphaeriae emergunt, penitus obductum.

A praefecata crusta junior, in qua Sphaeriae adhuc latent.

B exemta sphaeria globosa crusta annulatim cincta, aucta mole.

C a superiori parte visa Sphaeria cum insidente et perforata papilla, nativa et aucta mole.

D prior Sphaeria dissecta, adhaerente adhuc epidermide, nativa et aucta mole.



## TABVLA IV.

## FIG. I.

## 9. SPHAERIA DISCIFORMIS.

Sphaeria disciformis, composita subrotunda plana punctata.

Sphaeria albescens *Chlor. lugd.* 41. Sph. punctata *ibid* ?

Sphaeria atra plana carne alba *Hall. hist.* 2186. *tab.* 47. *fig.* 9.

Lichen-agaricus terrestris, scutatus, albus *Mich. gen.* 105. *tab.* 54.  
*fig.* 3. (quoad saltem figuram).

Habitat in. ficcis virgultis passim, in cortice.

Disci planissimi orbiculari, oblonga vel etiam reniformi et subangulosa figura, per ruptam epidermidem crassitie lineae circiter prodeunt, cortici innati (subter eum macula dilutior, nigra linea cincta, disci locum designat); diametro aliquot linearum, nigri, fusco-nigricantes etiam albidii, in superficie plana, creberrimis et minutissimis punctis quasi acicula, cribri instar perforati (a). Haec ope lentis adparent esse Sphaeriarum ostiola, in ficitate rugosa, quae intra carnis substantiam albidam ad earum cavitatem ducunt. Dissectione verticaliter ducta adparent nigra crusta, et nivea dura caro, aetate fordide fusca, demum evanescens, in qua ovato-oblongae, in humido subrotundae, nidulantur nigrae Sphaeriae, numerosae adpressae, viscoso liquamine vel nigro pulvere repletae.

Obs. vel ad hanc vel ad bullatam Sphaeriam, Sph. Lycoperdoides var. V. *Weig. obs. bot.* 48. *tab.* 3. *fig.* 3. accedere videtur. Anne etiam fungus disciformis punctatus *Boccone Mus. di piant.* t. 107?

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 4.

Corticis particula depingitur epidermide margine libera ac revoluta. Disci copiosi et epidermide undique cincti, naturali quidem forma.

A discus talis lente vitrea auctus.

B dissectus alius, superior laminae pars crassior ex maiori carnis copia, Sphaeriae cum ductibus suis, sectione admodum secunda instituta, conspici facile possunt. Aucta haec mole.

C Sphaeria nativa et aucta magnitudine.

Fig. 1.




Fig. 2.





Fig. 3.





## TABVLA IV.

FIG. 2.

## 10. SPHAERIA CLAVATA.

*Sphaeria clavata*, petiolata nigra incrassata.

*Sphaeria clavata* *Cblor. lugd.* 41. *Web. spic.* 303.

*Clavaria digitata*, ramosa lignea nigra *Syst. veget.* 14. 980? *Retz. prodr.* 1606. *Weig. fl. pom.* 815.

*Valsa clavata* *Scop. carn. ed.* 2. 398.

*Sphaeria Carchariae* var.  $\beta$  obtusa,  $\delta$  palmata *Weig. obs.* 49. *tab.* 3. *fig.* 6.

*Sphaeria nigerrima aspera* petiolata conica *Hall. bist.* 2193. *Mich. gen. tab.* 55. *fig.* 1. (promiscue cum *Sph. cornuta picta*).

Lichen-agaricus qui *Lythophytoides terrestre*, digitatum nigrum *ejusdem* 104. *tab.* 54. *fig.* 4?

Habitat ad radices et truncos arborum, etiam in hortis prope terram.

Extuberat haec *Sphaeria* vel e ligno semiputrido, vel e terra, angustiore sua parte in hac demissa, observabili vix tum radice nisi illam velis; caeterum rugosa, carnosae, nigrae, superius frequenter in pedunculos fissae, sensim incrassatos clavae in modum, apice vel simplici, vel bifido, inaequali altera fine; vel in ovato-lanceolatos conos (2-5) subpedunculatos, digitatos. Superficies atra rugosa, verruculis in siccitate distinctioribus aspera, rarius hirsuta. Natura crassa, dura in siccitate, fere lignosa. Maturior planta per rimas dehiscit dilacerata cute (a), quod etiam in *Sph. cornuta* evenit, Sphaerulis tum facile conspiciendis. Sectione horizontaliter ducta, adparet albissima medulla carnosae et fibrosae, fibris arcuatim ductis, media caro sordide paululum rubet. *Sphaeriae nigrae subrotundae nitidae*, jam

nudis oculis distinguendae, sub nigro cortice per ambitum plantae ferie collocantur, liquore viscido nigricante in humiditate, fibrosa et pulverulenta autem materia in siccitate repletæ. Minutissima semina ope lentis, nigra et copiosa in illo liquore contineri evictus fun.

o b s. alia species Sphaeriae quae mihi polymorpha audit et *Michelio* Lichen-agaricus nigricans, cupressiformis, ramosus et non ramosus, lignis aridis adnascens 104. Ord. 1. tab. 55. fig. 2. a priori videtur diversa.

#### EXPLICATIO FIGURAE 2.

##### TAB. 4.

Pingitur agmen clavarum e frustulo ligni putrescentis prope terram excrecentium.

A Clava digitata fisso cortice.

B horizontaliter dissecta alia, apparentibus tum Sphaeriis.

C exemptæ Sphaerulae cum suo ostiolo, nativæ et auctæ magnitudinæ.

## TABVLA IV.

FIG. 3.

## II. SPHAERIA PAPILLATA.

Sphaeria papillata, crusta fusca vel nigricans papillae minutissimae atrae apice pertusae.

Habitat in virgultis aridis.

Crusta tenuis fordide fusca vel ex nigro maculata in ficitate rimosa, satis tenax ut cartilagineam dicere possis, aridas virgultas cortice destitutas in areolas irregulares quasi distinguit, femilineam crassas, de quarum superficie minimae atrae verruculae, prominent, punctatae et asperae. Microscopio lustratae praesentant papillas nigras in conum obtusum productas, ordinate ac distincte collocatas, quae singulae apice poro perforantur. Verticaliter dissecta crusta intus fordide fusca adparet, ejusdemque coloris occultat Sphaerias globosas, in calore potissimum, viscosum liquorem per orificium in superficie crustae evomentes.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 4.

Depingitur particula aridi ligni, crusta hujus Sphaeriae obductum et papillis plane obfitum, naturali magnitudine.

A verticaliter praefecata particula hujus crustae, cum papillis erectis, et latentibus in substantia ejus Sphaeriis, partim integris partim dimidiatis. Haec ad lentem vitream aucta.

B naturalis forma Sphaeriae excusae adhaerente lamina superiori crustae, qua transmittit Sphaeria collum, eadem ad lentem mole auctiore.

## TABVLA V.

FIG. I.

## 12. SPHAERIA FRAGIFORMIS.

*Sphaeria fragiformis*, composita convexa obscure rubra.

*Sphaeria Lycoperdoides* var.  $\alpha$  *fragifera* *Cblor. lugd.* 40.

*Sphaeria fragiformis* *Dicks. fasc. pl. crypt.* 24.

*Valsa fragiformis* *Scop. carn. ed. 2.* 399?

*Sphaeria rubra fragri* *finilis* *Hall. hist.* 2190. *tab.* 47. *fig.* 10.

Lichen-agaricus cespitosus, ruber, acaulis, in abietum corticibus in-  
nascens, receptaculis florum sphaericis et nitidis *Mich. gen.* 105?

Habitat frequenter in virgultis aridis, in exsuccis ramis.

Ex cortice arborum vel in ramulorum superficie rotundae pilae vel simplices vel confluentes enascuntur, durioris naturae, haemisphaericae, oblonga vel irregulari forma, colliculis seu granulis undique asperae et tuberculosae. Cortici quidem arcte adnascuntur, et in centro radicis instar in ligni usque substantiam, quod facile observatur si cultello fragum separaveris, penetrant. Intus medulla solida, nigerrima vel fusca; haec tenui obducitur cortice nigricante vel fusco, subter quem *Sphaeriae* exiguae, atrae ovatae nidulantur (c); initio clausae sunt, demum apice perforantur et per tubercula pollinem carbonarium emittunt. In recenti seu humida *Sphaeria*, color atro-purpureus seu obscure fanguineus, in siccitate obscurior et nebula quasi seu pruina obducitur. Iuniores *Sphaeriae* sparsae exiguae.

OBS. a *Sphaeria pulvinata* longe differt colore ac *Sphaeriarum* colloca-  
tione. Flavum pollinem in dissectis fragis saepius observare contigit.



Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.



Fig. 5.





## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 5.

E Ramulo extuberantes pilae diversa aetate ac magnitudine proponuntur.

A defecatum tale fragum cum sociali connatum naturali magnitudine.

B dissectum verticaliter fragum, ut hemisphaerica medulla et latentes sub cuticula Sphaeriae conspici possint.

C aliud majori paulo mole pictum et a ramulo defecatum fragum, in cujus media cavitate medulla nigra farcta, ambitu vero ferie cuti subjacentes Sphaeriae cum polline hinc inde elapso conspiciuntur.

D Sphaeriae integrae ac dissectae, naturali et aucta magnitudine.

E

## TABVLA V.

FIG. 2.

## 13. SPHAERIA ACVTA.

Sphaeria acuta, solitaria minima atra.

Sphaeria atrata solitaria minima *Hall. bist.* 2179?

Lichen - crustaceus tartaricus, in arborum cavernulis proveniens, et veluti deustus, receptaculis florum pyriformibus, non verrucosis  
*Mich. gen.* 102. *ord.* 37. *tab.* 54. *fig.* 1.?

Habitat in ramulis et ligno cortice denudato.

Humidis et umbrosis locis frequenter ramulos tales invenies punctis nigris magnitudine seminis papaveris conspersos, et asperos, absque conspicua aliqua crusta. Lenti si haec corpuscula subjiciantur in conum ordinata nitida, non male lagenam vel alia pastillos imitantur recenter formatos (bc). Ex rotunda et lata basi in conum eminent, in ficcitate praesertim acutiusculum, collo plus minusve producto, cujus orificium rotundatum tenuissimo poro pertunditur, ex quo in calidiorem ex humido translata Sphaeria viscosum et glaucum liquorem destillat. Dissectae Sphaeriae cavae sunt et in superiori plaga aperiuntur.

Obs. alia occurrit varietas Sphaeriis omnibus conos obtusos aemulantibus sine latiori aliqua basi, quibusdam autem aliis in tubercula parva depressis.

## EXPLICATIO FIGURAE 2.

TAB. 5.

Exhibetur ramulus abscissus undique hac Sphaeria confitus.

- A frustulum hujus ramuli excisum et lente inspectum, mole auctum.
- B C Sphaeriae integrae extensiori magnitudine depictæ, defluentibus ex altera guttulis viscosi liquaminis.
- D ad perpendiculum dissecta Sphaeria, ubi plagula in apice depressa follicite exprimitur.

## TABVLA V.

FIG. 4—5.

## 14. SPHAERIA CORONATA.

Sphaeria coronata, composita ostiolis epidermide perforata spinulosis.

Sphaeria tentaculata *Bat/ch. elench. fung.* 278. *tab. 30. fig. 183?*

Habitat in ramulis arborum demortuis.

In superficie ramulorum epidermide perforata radiorum in modum minutissimi nigri apices protruduntur, ambitu per cuticulam transparente lentiformi. Cuticula suspenſa manu, nisi ipsum Sphaeriarum acervum evellere velis, cultello separata, Sphaeriae exiguae oblongae in fibrosa corticis substantia nidulantes in conspectum veniunt, stylis suis adscendentibus coadunatis et lignea materia collectis in coronatum capitulum, extra cuticulam prominulum (fig. 5). Singulae Sphaeriae exemptae fossulam in cortice relinquentes, per lentem adparent, nitidae et nigrae, ovato-oblongae sensim in stylum erectae, apice incrassato rotundo et perforato ostiolo instructum (a b). Intus vel nigram massam vel gelatinam capiunt.

Obs. in media coronula eadem lignosa materia conspicitur, in qua nidulantur Sphaeriae. Stylorum apices facile abrumpuntur, nisi caute cuticulam separaveris, alioquin acuti adparent.

## EXPLICATIO FIGVRAE 4.

## TAB. 5.

Parva portio ramuli exhibetur revoluta cuticula, ostendans agmen Sphaeriarum, quae in corticis substantia stellatim collocantur.

**A** acervulus talis Sphaeriarum exemptus et lignosa substantia cinctus, Sphaeriis vero in cavernulis suis reconditis, a superiori parte conspectus, auctiore mole.

**B** excuffis Sphaeriis cavernulae pictae, quas in cortice relinquunt; in medio columnula erigitur, ad stylosum fulcimentum, auctiore mole.

FIG. 5. portio alia ramuli denudata plane a cuticula.

**A** coronula integra per lentem aucta.

**B** Sphaeria singula cum incurvo et superius incrassato stylo depicta, eaque

**C** verticaliter dissecta. Haec ad lentem delineata.

## TABVLA V.

FIG. 3.

## 15. SPHAERIA PVSTVLATA.

Sphaeria pustulata, composita lentiformis perforata.

Habitat in emortuis ramulis.

Cuticula corticis pustulis vel variolis caput aciculae mediocri vix superantibus confita et intumescens quasi conspicitur et puncto aspero perforata. Facile quidem haec glubi potest, usque talem pustulam attigeris quae in duplicatura cuticulae nidulatur, tumque autem frequenter abrumpitur. Detracta vero epidermide corpuscula haec adparent compressa nigra, lenti admodum similia, apice uno alterove puncto notata. Dissecta capsula ope lentis plures circulatim collocatas minimas Sphaerias ostendit in humido pellucas fere, in ficco nigras, stylo terminatas simplici. Omnes styli vel communi orificio utuntur vel in plura orificia aperiuntur. Intus vel gelatinam vel nigrum pulverem continent.

Obs. a priori differt haec Sphaeria stylo simplici, neque extra capsulae orificium prominulo, et loco natali inter cuticulae duplicaturam.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 5.

Portio admodum exigua a ramulo defecata exhibetur, deglupta in superiori parte cuticula, ut lenticulae duae distinctius conspiciantur.

A lenticula a latere cum suo orificio visa.

B eadem a superiori parte, adhaerente adhuc altera inferiori lamina.





Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 4.




Fig. 3.



## TABVLA VI.

FIG. I.

## 16. SPHAERIA CIRRATA.

*Sphaeria cirrata*, composita atra, ostiolis cirrosis.

Habitat in ramulis emortuis.

A priori forma et crescenti modo non multum abludivit. Tubercula seu verrucae distinctae compressae, basi orbiculatae nigrae, vel in nudo cortice vel sub epidermide propullulant, ostiolo multifido instructae. Ex apice fila varie contorta et implicata, tenuissima, albida et fragilia, quasi e humidiuscula farina compacta, exprimuntur. Dissecta verruca e pluribus nigris cellulis gelatinosa massa refertis, demum per orificium expellenda constare videtur.

Obs. alia *Sphaeria* in fibroso cortice putridorum ramulorum nascitur, atra oblonga vel rotunda urceolata, ore annulato instructa vel gelatina vel nigra pasta repleta, neque in cellulas divisa.

## EXPLICATIO FIGURAE I.

TAB. 6.

Parvulus exhibetur ramulus verruculis cirrosis plane tectus.

A portio hujus ramuli per lentem augmentata cum implicatis filis.

B emota verruca cum duobus cirrosis filis.

C horizontaliter dissecta verruca nigris cellulis excavata.

## TABVLA VI.

FIG. 3.

## 17. SPHAERIA NIVEA.

*Sphaeria nivea*, composita tuberculosa, tuberculis truncatis niveis.  
Habitat in cortice praesertim abietino.

In cortice colliculoso epidermidem percurrunt tubercula parva ventricosa, quae superius plana sunt et truncata, albido-marginata, nigris et tenuissimis punctis notata. Haec oculo armato perlustrata undique conspiciuntur corticis epidermide vestita, superiori autem in parte nivea, farinosa massa ut margine circumdantur, in eo nigra tubercula (2 - 5) subtilissime perforata (a). Cuticula separata albidam illam farinosam massam nigricantes minutas Sphaerias occultare, quae orificia sua in superficiem rimulae ex farina protuberantis, emittunt, facile observari potest. Sphaeriae subrotundae nigrae excussae, cellulas in cortice relinquunt.

## EXPLICATIO FIGURAE 3.

TAB. 6.

Corticis portio exhibetur naturali forma, ex qua permulta pro-  
pullulant tubercula, superius nivea, truncata, subtilissime hinc inde punctata.

A particula hujus excissa et oculo armato perlustrata, ut ventricosa tubercula cuticula vestita, superius autem limbo farinoso cincta, nigraque in eo latentia puncta, seu orificia Sphaeriarum perforata, melius pateant.

## TABVLA VI.

FIG. 2.

## 18. TREMELLA PURPUREA.

*Tremella purpurea*, subglobosa fessilis solitaria glabra *Linn. syst. veg. ed. 14. 965. syst. pl. 565. fl. suec. 2. 1742. Weis. pl. crypt. 30. Neck. gallob. 523. Pollich. pal. 1139. Matt. Sil. 886. ej. enumer. 1120. Delamarck fl. franc. 94. Retz. prodr. 1429. Leyf. hal. 2. 1194. Chlor. lugd. 37.*

*Valsa miniata Scop. carn. 1418.*

*Sphaeria tremelloides Weig. obs. 46.?*

*Elvela purpurea Schreb. spicil. 112.*

*Sphaeria convexa miniata hirsuta Hall. bist. 2189.*

*Lichenoides tuberculofum amoene purpureum Dill. bist. must. 127. tab. 18. fig. 6.*

*Noctoc granulofum coccineum Vaill. par. 144. 6.*

Habitat in ramis emortuis.

E fisso cortice enascuntur tubercula rubra, forma admodum mutabili. Sunt enim alia globosa pulvinata exacte rotunda, aequalia et solitaria, breviter stipitata (a), purpurea, carnosae quidem sed paulo durioris naturae; haec diu asservata colorem cinereum assument cui paucum rubri coloris admixtum est, aqua vero humectata priori rubore tinguntur iterum, sed obscuriori denique et subfusco; alia vero sunt eleganter miniata, modice convexa, complanata et veluti conglomerata; confluunt enim saepissime in angulosam et irregularem figuram; colore in humido cinnabarino in siccitate roseo. Stipiti quidem etiam innascuntur sed perbrevis ac in corticis fissura latente. In aqua si macerentur substantia carnosae in butyraceam mas-

sam resolvitur ac diffluit. Illa tubercula si oculo armato perlustrentur subvillosa quasi vel potius albido polline conspersa videntur; dissecta intus rubra fibrosa caro, quae albidiori petiolo circumnascitur; haec autem rugosa, intus, verticaliter dissecta, ostendunt arcuatim collocatam carnem a petiolo rubra linea (b) distinctam. Stipiti albido vel flavescenti, pulverulenta et durioris naturae est caro.

Obs. magnitudine non minus quam figura tubercula hujus Tremellae variant. Occurrunt enim ab aciculae mediocris ad pisi magnitudinem, et promiscue illa inter haec crescunt. Colore invenies purpureo, miniat, roseo etiam aurantio. Sphaerias etiam centies repetito examine in meis invenire non potui, ideoque dubitanter adduxi Sphaeriam tremelloidem ill. *Weigeli*, ab illa ut videtur diversam. Insectorum vero ovula pellucida in hoc vegetabili nidulantium non raro reperiuntur. Inter haec Tremellae tubercula frequenter alia occurrunt exigua corpuscula, pyriformia acervatim collocata papillata apice, substantia in humido carnosam intusque solida, in siccitate pulverulenta durabili natura, eleganter coccinea, aetate demum nigra; saepissime ex eadem fissura cum Tremella proveniunt eique adnascuntur. Ad Trichiarum genus videntur proxime accedere, quod absoluta observatione melius patebit.

## EXPLICATIO FIGURAE 2.

TAB. 6.

Ramulus exhibetur emortuus malinus, in quo frequentissime haec Tremella enasci solet, pilis rotundis et irregularibus tectus. Ad latus tubercula aliquot figura diversa pinguntur.

A tuberculum solum stipiti insidens, extensiori magnitudine pictum, B aliud dissectum ad perpendiculum, naturali et extensa magnitudine.

## TABVLA VI.

FIG. 4.

## 19. TREMELLA AVRIFORMIS.

*Tremella auriformis*, sessilis plicata adscendens flava.

*Tremella juniperina*, sessilis membranacea auriformis fulva *Linn.*

*syst. veg. ed. 14. 965? syst. pl. 562. fl. suec. 1135. fl. norv. 569.*

*Retz. prodr. 1418. Leyf. bal. 2. 1189. Chlor. lugd. 37.*

*Tremella sessilis membranacea auriformis cinerea Thunb. jap. 345?*

Habitat in ligno putrido, etiam in putrescentibus truncis.

Ex angusto seu radiciformi principio explicatur adscendens, crassiuscula tremellosa membrana, quae superius varie plicata et ampliata auriculam quodammodo repraesentat. Exterius plicarum rugae, venas non male exprimunt. Caeterum colore flavo seu fulvo albescente demum etiam in ficitate, et undique glabra est. Natura minus caduca, ut etiam exsicari possit.

Obs. *Tremella mesenteriformis*, in plicas multiplices amplas intorta  
*syst. veg. ed. 14. 965. Jacq. misc. 1. 142. tab. 13. multis modis*  
cum hac convenit.

## EXPLICATIO FIGVRAE 4.

TAB. 6.

*Tremella* haec naturali mole depicta.

## TABVLA VII.

FIG. I.

## 20. TREMELLA VNDVLATA.

Tremella undulata, adscendens finuato - undulata purpurea.

Agaricum purpureum undulatum *Hall. hist. 2252?*

Habitat ad terram in ligno putrescente.

Oritur ex putrido ligno folium basi angustatum et in plures adscendentes lacinias divisum, 3 - 4 unciali altitudine; laciniis obtusis undulato - finuatis varie plicatis et reflexis, rotundatis. Colore adparet haec Tremella nigrescenti quidem, sed subdiaphana est et luci objecta purpurascens. Natura tremula et mollis ut fabrile glutinum, sat tenax; in siccitate cornea quasi et flexilis Fucorum instar. Superficies subtilissime rugosa, rugis per longitudinem ductis. Craffities lineam vix superat. Planta etiam diutius exsiccata, statim aqua reviviscit, eamque citrino tingit colore.

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 7.

Pingitur naturali forma et mole haec Tremella, adhaerente adhuc ligni particula e quo enascitur.



Fig. 1.



Fig. 2.





Fig. 3.





## TABVLA VII.

FIG. 2.

## 21. TREMELLA DIGITATA.

*Tremella digitata*, linearis dentata fulva.

*Tremella Sabinae*, dentiformis fulva velutina *Dicks. fasc. crypt. 14.*

*Tremella juniperina* *Web. goett. 277.?*

*Tremella viscaria*; multifida: frondibus linearibus subtrifidis *Neck. gallob. 523,*

Agaricum gelatinosum, coccineum, lobis crassis dentatis *Hall. bist. 2258. ? f. 2260.?*

Fungus gelatinosus dentatus, Sabinae adnascens, fulvi coloris *Raj. Syn. 16.*

Coralloides luteum, parvum Juniperi caudicibus adnascens *Michx. gen. 210. tab. 86- fig. 5?*

Habitat primo vere in ramis Juniperi, Sabinae gregatim.

In cortice ramorum vel in trunco Juniperi frequentius et subito nascitur haec Tremella. Vermiculos seu cauliculos unciales plerumque teretes agminatim collocatos circa ramulum videbis, quorum alii lineares (b) simplices, alii coagmentati (a), alii sensim apicem versus acuti (c); plerique in dentes inaequales superius fissi, tuberosi, saturatoris coloris; alii etiam digitati. Natura omnibus in recenti tremula, gelatinosa, lenta ac viscida; color eleganter fulvus. Aetate denique disfluunt ad sebi deliquescentis modum. Ex siccitate quadrangularem figuram acquirunt et in flavum pollinem dissolvuntur. Nonnulli recentes in superficie prona convexi aut angulosi et in supina plani, saepius concavi (b) adparent.

## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

TAB. 7.

- Agmen pingitur hujus Tremellae e ramulo Juniperi nascentis.
- A coaliti cauliculi apice digitati.
- B cauliculus supina plana superficie conspectus, dentatus, denticulis incrassatis.
- C in conum attenuatus cauliculus truncatus apice; omnes naturali mole picti.

## TABVLA VII.

FIG. 3.

## 22. TREMELLA MESENERICA.

Tremella mesenterica, plicato-undulata aurea.

Tremella juniperina *Huds. angl.* 2. 562.

Tremella mesenteriformis *Web. goett.* 295.

Tremella mesenterica, sessilis plicato-sinuata frondibus complicatis *Neck. gall.* 522.

Tremella mesenterica, sessilis membranaceo-gelatinosa congesta sinuosa aurea *Aët. holm.* 1769. 249. *Retz. prodr.* 1419. *Dicks. fasc. pl. crypt.* 14.

Agaricum gelatinosum, intortum et mesenteriforme *Hall. bist.* 2261.

Noctoch luteum, mesenterii forma *Vaill. par. Tab.* 14. *fig.* 4.

Agaricum gelatinosum, membranaceum, aureum sinuatum et crispum *Mich. gen.* 124. 3.

Habitat in arborum putridis ramis, Abietis, Mali, Pyri, lignis, post pluviam.

Cortice rupto primo extuberant capitula hemisphaerica plicato-undulata (a b c), quae brevi tempore increfcunt et oblongam, reniformem vel variam induunt formam. Separato tum cortice manifeste capitula petiolo brevi e ligno pronascente infidere adparent. Increfcunt illa in uncialem fescuncialem diametrum. Substantia gelatinosa, membranis seu lamellis eleganter plicato-undulatis fimbriatis, mesenterii ab intestinis separati forma. Color vigente jam Tremella eleganter aureus nitens, quasi croceo vernice pellucente ob-

---

duceretur. Sensum vero substantia mollior fit, et in uniformem gelatinam confluit et liquefcens colorem ducit dilutiorem, aquoso-flavescentem. Semina minutissima in massa gelatinosa nidulantia tum facile observari possunt.

### EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 7.

Desecati rami putrescentis portio exhibetur, Tremella juniori e rupto cortice, variabili admodum forma protuberante, majori vero perfectioris aetatis in multiplices plicas ac gyros contorta, ac inferius pendente.

A junior Tremella a superiori parte spectata.

B alia a laterali cum suo pedunculo et undosis plicis.

C iuvenile et minus reliquis capitulum.




Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.





## TABVLA VIII.

FIG. I.

## 23. TREMELLA ARBOREA.

*Tremella arborea*, sessilis subrotunda undulata nigrescens *Huds. angl.* 2. 563.

*Tremella picea* *Chlor. lugd.* 37.

*Tremella Noftoc* var.  $\beta$ . *Leyf. hal.* 2. 1190. *Leers herb.*  $\beta$ . 1014. *Syst. pl.*  $\beta$ . 563.

*Tremella fagarum*, sessilis membranacea difformis venosa subfusca *Aët. holm.* 1769. 249. *Retz. prodr.* 1422.

*Lichen nigerrimus*, sessilis, obtuse lobatus *Hall. hist.* 2033? v. 2038?

*Tremella arborea nigricans*, minus pinguis et fugax *Dill. hist.* 54. tab. 10. fig. 15.

*Noftoc nigricans arboribus innascens* *Vaill. par.* 144. *De Lamarck. fl. franc.*  $\beta$ . *Tr. N.* 93.

*Lichen arboreus*, membranaceus, nigricans *Buxb. comm. act. petr.* t. 3. 273. tab. 14. fig. 3?

Habitat in truncis et ramis emortuis arborum etiam in putrido ligno.

Membrana crassiuscula gelatinosa varie plicata et excavata eminentias venosas habet absque ullo ordine stratas. Glebulis ab initio e cortice propullulat subangulosis, solidis tamen et laevibus, demum confluentibus et latam in membranam expansis. Color in humido ex livido est ater vel fuscus, in siccitate autem piceus, nitidus. Superficies praeter rugas in adultiori punctata adparet; haec puncta

oculo armato subiecta, conica tubercula, acuminata apice, effigurant, superiori membranae innata.

OBS. est haec Tremella minus pinguis et fugax quam Trem. Nostoc eaque crassior. Fructificationes conicas sparsas etiam adnotavit *Leersius* l. c. Witches Butter i. e. Butyrum sagarum vocatur in Comitatu Herefordiensi, significante *Littl. Brown*, eo quod igni injecta veneficia arcere vulgo credatur. *Dill.* l. c.

### EXPLICATIO FIGURAE I.

TAB. 8.

Exhibetur recens haec Tremella naturali magnitudine.

A defecata particula et lente perlustrata, conulis minutis in superficie locatis.

B talis conus femote delineatus.

## TABVLA VIII.

FIG. 2.

## 24. TREMELLA VTRICVLATA.

Tremella utriculata, sessilis tuberculosa gelatinosa solida.

Tremella verrucosa, tuberculosa solida rugosa *Linn. syst. veg.* 14. 965. *Syst. pl.* 563. *fl. su.* 1179. *fl. norv.* 1093. *Retz. prodr.* 1425. *Leyf. bal.* 2. 1192. *Delamarck fl. franc.* 93. *Chlor. lugd.* 37.

Tremella utriculata, sessilis tuberculosa gelatinosa tuberculis cavis *Huds. angl.* 2. 563.

Tremella lobata et rugosa *Hall. hist.* 2127.

Tremella subrotunda difformis gelatinosa *It. gotb.* 179.

Tremella fluviatilis gelatinosa et utriculosa *Dill. hist.* 54. tab. 10. fig. 16.

*Linkia palustris*, gelatinosa, saxi adnascens, ex obscuro fulva, et concava, vesicam referens *Mich. gen.* 126. tab. 67. fig. 2.

Habitat supra lapides in rivulis

Substantia tremula rotunde lobata et sinuosa: lobis obtusis inflatis hinc inde compressis; in medio corrugata, saxi adhaeret in rivulis minus praecipiti cursu manantibus. Exsiccata picea, tenuis membrana, aqua immersa statim intumescit in varios utriculos, vel obtusos lobulos, qui discissi non cavi, sed eadem tremula substantia repleti. Color ex fusco vel virescenti nigricans. Per lentem meam Tremellam in superficie glabram observo, etiamsi hinc inde minuta granula sparsa sint.

---

OBS. femina hujus Tremellae in tortuosam lineam Coralli aut margaritarum monilium instar disposita depinxit *Michelius*; granulofam vero superficiem etiam observavit *Dillenius*.

EXPLICATIO FIGVRAE 2.

TAB. 8.

Recens depicta Tremella naturali magnitudine.

## TABVLA VIII.

FIG. 3.

## 25. TREMELLA NOSTOC.

*Tremella Nostoc*, plicata undulata *Linn. syst. veg.* 14. 965. *syst. pl.* 562. *fl. su.* 2. 1136. *fl. norv.* 753. *Scop. carn.* 1. 114. *Weis. crypt.* 29. *Schreb. spic.* 141. *Neck. gallob.* 522. *Scop. carn.* 2. 1420. *Leers herb.* 1014. *Poll. pal.* 1137. *Matt. sil.* 885. *enum.* 1119. *Retz. prodr.* 1420. *Delamarck fl. franc.* 93. *Leyf. hal.* 2. 1190. *Chlor. lugd.* 37.

Lichen gelatinosus, plicatus, undulatus, laciniis crispis, granulosis  
*Hall. hist.* 2041.

Byssus gelatinosa fugax terrestris *fl. lapp.* 530.

*Tremella terrestris sinuosa pinguis et fugax* *Dill. hist.* 52, tab. 10. fig. 14.

*Linkia terrestris*, gelatinosa, membranacea vulgatissima, ex pallida et virescente fulva *Mich. gen.* 126. tab. 67. fig. 1.

Lichenoides parvum gelatinosum et angulosum ex albo virescens  
*Dill. cat. giff. p.* 209. (junior angulosa planta)

Nostoch Paracelsi *Geoffr. Comm. Ac. R. Sc.* 1708. 228. (anal. chem.)  
*Adanf. fam. pl.* 13. *Reamur Act. R. sc. par.* 1722.

Vlva terrestris pinguis et fugax *Raj. syn.* 3. 64.

Sternschnuppen Sternschnautze. Jelly Rain *angl.* Skyfall *suec.*  
Troid-sinör *dan.*

Habitat in glareosis, gramineis locis aestate post pluviam.

Ab initio globosa esse solet, obscure viridis, quae, globulis vel angulosis illis bracteis temere confluentibus, in uncialem biuncialem varie plicatam membranam explicatur. Substantia membra-

nacea a quovis vento difflabilis, tremula, fordide virens vel obscure lutescens; per siccitatem tenuissima, complicata obscurior et fragilis.

OBs. cel. *Fontana* animalem naturam irritabilitatem et lucis sensum in hac Tremella observari autumat. Superstitio magna ex ea sibi pollicetur, praesertim spiritum quandam universalem, quo aurum blande et radicaliter dissolvatur. Vis adstringens, antiulcerosa, antiherpetica esse debet. Chemica analysi ex auctoritate *Geoffregii* junioris praeter phlegma empyreumaticum oleum, spiritum et sal urinofum prodit.

### EXPLICATIO FIGURAE 3.

TAB. 3.

Tremella perfecta post pluviam super terram expansa, sed indeterminata saepius figura.

A exigui globuli aggregati qui mox augentur et

B in bracteolas confluunt varie

C angulosas invicem saepius incumbentes; substantia crassiuscula gelatinosa et tenera.

8.

D. GEORG. FRANC. HOFFMANN

VEGETABILIA

CRYPTOGAMA.



---

1790.





V I R O

ILLVSTRI AC CELEBERRIMO

D. IO. FRID. BLVMENBACH

PROFESSORI GOETTINGENSI

DE VNIVERSA MEDICINA ET HISTORIA NATVRALI

MERITISSIMO

DEDICAT CONSECRATQVE

H V N C F A S C I C V L V M

G. F. HOFFMANN.





## P R A E F A T I O.

---

**P**auca equidem habeo, quae moncam in limine hujus fasciculi. Siquidem plantulas iterum offert quarum naturam nondum satis perspectam ac definitam, saltem genericam habemus. Trichiarum ex Halleri sententia in eo differt natura a Mucore, Lycoperdo aliisque, quod corpuscula sementiva filis duriusculis intertextantur, et quod nunquam aut pulpam humidam, aut liquorem in cellulosam naturam diffusum, intus continent, neque conspicuo cortice destituantur; nec non Cyathi a Pezizis, quod cavea sursum latefcens plena sit corpusculis lenticulatis compressis, de pediculo suspensis. Pezizis autem plerisque commune est habere, carnem propriam fragilem, crassam etiam membranaeam et gelatinosam; truncum simplicissimum, termina-

---

tum in cavam superficiem, planam, reflexam, fertilem  
intus ex observatione cel. Hedwigii (de quo etiam su-  
periorum et aliorum generum definitionem et fructifi-  
cationis eorum explicationem non sine felici eventu  
expectare debeamus \*) thecis feminalibus membranosis,  
ut plurimum stupa filamentosa junctis non cohaerenti-  
bus; feminibus 8 foetis (inde viro celeberrimo Octo-  
sperae dicuntur) quae etiam levissimo tactu semina ma-  
turationis tempore uno impetu evibrant.

\*) Stirp. crypt. Vol. II. praef.

---

I. TRICHIA



TABVLA I.

FIG. I.

I. TRICHIA PIRIFORMIS.

*Trichia piriformis*, gregaria stipitata, capitulo piriformi purpureo.

*Trichia brevissime petiolata purpurea piriformis* *Hall. bist.* 2167. *tab.* 48. *fig.* 5.

*Mucor pyriformis*, stipitatus, capitulo pyriformi purpureo *Leers herb.* 2167.

Habitat in cavis putridis arboribus; etiam in teneriori parte rimarum corticis emarcidi.

**G**regaria nasci solet pedunculo brevissimo, vel solitaria vel ex una basi multiplex, capitulo piriformi, sursum lateacente, supra basin contracto, purpureo nitido, demum fusco. Disrupto transversum cortice capillitium exit cylindricum densum, ex aurantio purpureum, polline concolore plenum, saepe in altitudinem semipollicarem assurgens, eoque delapso testa cava et inanis superest.

---

**EXPLICATIO FIGVRAE 1.****TAB. I.**

Acervuli variae aetatis ex plantulis nostris compositi, quarum  
duae lanam emittunt, nativa forma ac magnitudine.

A Trichiae basi sua coaliti.

B alia separatim annexis radiculis picta.

C alia disupta testa, ex qua surgit capillitium.

D inanis testa, eiusque

E pars superior.

F pollen filis annexum. Haec ad vitream lentem modice au-  
gentem.

## TABVLA I.

FIG. 2.

## 2. TRICHIA GRANIFORMIS.

*Trichia graniformis*, gregaria stipitata, capitulo rotundo coccineo.

*Trichia gregaria purpurea*, petiolata, capitulo sphaerico *Hull. bist.*  
2164. tab. 48. fig. 6.

*Mucor coccineus*, stipitatus, capitulo subrotundo *Leers herb.* 1134.

Habitat in arborum putridis truncis.

In ligno putrescente friabili, elegantissimae plantulae 3 - 6 simul oriuntur, magnitudine *Piperis grani*, eximie coccinae vel cinnabarinae. Rupto cortice elasticum capillitium pallide sanguinei seu carnei coloris in ovi vel clavae speciem assurgit, semenque pollineum purpureum, reticulatis filis annexum excutit. Pedunculus bilinearis nigricans, basi dilatatus, quorum plures saepius ex uno gelatinoso puncto nascuntur. Brevi autem temporis spatio contabescit, nigrescit plantula, capillitium delabitur, et manet in pediculo pars testae inferior, inanis hemisphaerica aut lacerata.

Obs. Clathrus pedatus reticulo deciduo *Schmid. icon.* 126. tab. 33. vel nostram plantam indicare, vel tamen ab ea non longe distcedere quisque ex descriptione et delineatione eius intelliget.

---

**EXPLICATIO FIGVRAE 2.****TAB. I.**

Multiplici ordine cespites huius Trichiae ligno innascentes naturali forma exhibentur.



A plantula capitulo nondum aperto.

B C in his decessit superior pars testae exitque capillitium.


D inanis testae particula in pediculo manente.


E semina filo adhaerentia. Haec ad lentem vitream picta; superius naturalis eorum magnitudo.











## TABVLA II.

## FIG. I.

## 3. TRICHIA VIOLACEA.

*Trichia violacea*, stipitata, capitulo depresso; polline violaceo.

*Mucor violaceus*, stipitatus, capitulo lentiformi depresso *Leers herb.* 1128.

Habitat in ligno putrescente.

Plures oriuntur *Trichiae* in superficie putrescentis ligni, in seriem quasi coordinatae, lineam et ultra attingentes, capitulo orbiculari et compresso, figura, si excipias magnitudinem, lentis minoris. Dehiscit haec in lacinias, quae sensim explicantur et nigrum satis firmum pedunculum apicem versus attenuatum, cum reliqua testa radiatim terminant. Capillitium rupta testa exit albissimum et byssaceum, pollenque violaceum excutit.

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

## TAB. 2.

Ligni particula exigua, undique hac *Trichia* confita; naturali magnitudine.

A plantula juvenilis subvillosa et nondum aperta.

B alia quae in centro dehiscere incipit.

C rupta haec in lacinias testae expansa villumque emittens.

D reliqua testae inferioris pars. Haec extensa et naturali majori figura.

## TABVLA II.

FIG. 2.

## 4. CYATHVS MINVTVS.

*Cyathus minutus*, stipitatus calyciformis.

Fungoides aureum, omnium minimum, turbinatum, et vix cavum, foliis cupressi, semiputridis imascens *Mich. gen. 207. 28. tab. 86. fig. 20.*

*Peziza minima*, alba, petiolata, scypho infundibuliformi *Hall. hist. 2238?*

*Peziza minuta*, campanulata lentifera stipitata *Leers herb. 1085.*

Habitat in emarcidis foliolis Iungermanniae, praesertim platyphylae; in Muscis.

Plantula minuta ac nitida foliolis insidet Musci vel Iungermanniae, scyphum ex infundibulo vel calycem vinarium exacte referens, ultra lineam vix longum, petiolo semilineari distincto, orbiculata basi, membrana convexa, quasi operculo instructum. Corpuscula intus contenta ratione exiguae plantulae sat magna: magnitudine ac figura seminis Papaveris. Haec elastice in radiantes lacinas difiliunt lanamque niveam quam fovebant, explodunt, scypho inani remanente et persistente. Color flavescens, petioli purpurascens.

oBS. propter corpuscula illa feminalia in cavo retenta, Cyathi characterem habet, de quo singulari modo elastice ex iis lanam explodente differre et ad Trichias forsân nostra accedere videtur.

## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

## TAB. 2.

Recenti Iungermanniae frondi innascuntur permulti scyphuli ;  
aliqui etiam semote picti, nativa magnitudine.

A juvenilis scyphulus, membrana adhuc tectus.

B protuberant in hoc corpuscula illa sementiva:

C inanis cyathus.

D corpuscula sementiva; unum ad lente auctum dehiscens. Omnes  
figurae ad lentem magis extendentem delineatae.

---

 TABVLA II.

FIG. 3.

## 5. EMBOLVS LACTEVS.

Embolus lacteus, stipitatus clavaeformis, candidissimus.

Mucilago minima, clavae effigie, lacteum candorem simulans, pediculo donata *Mich. gen. 216. 4. tab. 96. fig. 4.*

Mucor petiolatus, capitulo elevato, cortice in pulverem fatiscente *Gled. fung. 159. 4.*

Embolus albissimus *Hall. bist. 2138.*

Mucor lacteus, stipitatus capitulo pyriformi-oblongo lacteo *Leers herb. 1132.*

Habitat brumali tempore et Vere in putrido ligno, in truncis et foliis putrescentibus; Salicibus, Prunis.

Brevis vitae plantula. In cortice ex putredine nigricante videbis lacteo suo candore emicantes nitidos fungillos, natura molli ac fragili, pediculo donatos aliquot linearum alto, et in clavae, demum flocculentae niveae effigiem conformatos. Contabescunt et exsiccantur brevissimo tempore elapso, apiceque aperiuntur.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 2.

Corticis particula Embolis in seriem quasi coordinatis obsita; naturali forma ac magnitudine.



## TABVLA II.

FIG. 4.

## 6. LYCOGALA NIVEVM.

Lycogala niveum, stipitatum, capitulo subrotundo, niveo, tenaci.

Lycogala petiolatum, niveum, opacum *Hall. bist.* 2146.

Mucor niveus, stipitatus, capitulo globoso niveo nitido *Leers herb.* 2146.

Habitat autumnali tempore in arborum excissis et putrescentibus truncis.

Mucori similis plantula sed crassiori pedunculo instructa, erecto, saepius incurvo, substriato; satis firmo; e cinereo murino. Capitulum subpiriforme vel rotundum, albidum, demum ex cinereo glaucum; nitidum. Cultello perfossa resistit cutis, ex qua materia, in syrupi flavescens similitudinem effluit.

## EXPLICATIO FIGVRAE 4.

TAB. 2.

Particula ligni putrescentis cui superius Lycogalae hujus acervuli innascentur, quorum unum separatim pingitur, naturali forma ac magnitudine.

## TABVLA II.

FIG. 5.

## 7. TRICHIA RVFA.

*Trichia rufa*, stipitata, capitulo subrotundo rufo.

*Mucor rufus*, stipitatus, capitulo subrotundo rufo *Leers herb.*  
1127.

*Trichia petiolata rufa*, capitulo sphaerico *Hall. hist.* 2163. *tab.* 48.  
*fig.* 4?

Habitat intra putrescentis ligni rimas, in excavatis Salicis decrepitae truncis.

Vel solitariae plantulae vel plures confertae occurrunt, quibus commune est habere pedunculum fetaceum nigricantem, inferius crassiorem et in radículas quasi divisum; capitula subrotunda, depressa saturate coccinea, in superficie concolore hirsutiae obducta. Vel de latere rumpitur testa, niveamque expellit, polline obscure purpureo inquinatam lanam, vel superius in inaequales lacinias dehiscit, evolatque capillitium.

## EXPLICATIO FIGVRAE 5.

TAB. 2.

Frustrulum putrescentis ligni superius plantulae acervulis oblitum.

A plantula integro capitulo extus villoso.

B alia rupta testa, lanam emittens.


1.



2.




3.






1.



2.



3.





## TABVLA III.

FIG. 1, 2.

## 8. TRICHIA COCCINEA.

*Trichia coccinea*, gregaria sessilis piriformis coccinea.

Habitat in putrescente rimoso cortice, cuticula revoluta.

In fissuris ac rimis corticis, minutissima corpuscula acervatim nidulantur, elegantis coccinei coloris; quae accuratius inspecta tenaciter adhaerent et cortici quasi infixae sunt; sursum et supra basin angustiora, corii perfici instar exasperata, ore instructa prominulo umbilicato, arcte ab initio clauso, demum aperto lanam niveam explodente. Transversim dissecata *Trichia* viscosam materiem pulverulentam, sanguinei coloris ostendit. Per aetatem dimidia testae inanes reperiuntur, fuscescentes, nigricantes, etiam integerrimae, saepius extus niveo villo obductae.

Obs. ob viscosam intus contentam materiam Sphaeriis adsociarem, nisi pulvis seminalis ex intertextis villis compositus, impedimento efficit.

## EXPLICATIO FIGVRAE 1, 2.

TAB. 3.

*Trichia* vel in nuda ligni particula, vel in rimoso cortice, naturali forma ac magnitudine.

A infixae quasi ligno conspici possunt duae *Trichiae*, extensiori forma.

B C permultae aliae variae aetatis ac formae: dissectae, hirsutae, integerrimae vel pollinem ejaculantes, ad lentem vitream pictae.

D materia illa villis intertextis, sementiva, aucta magnitudine.

## TABVLA III.

FIG. 3.

## 9. SPHAERIA SPERMROIDES.

Sphaeria spermoides, gregaria globularis nigra.

Sphaeria globularis, gregaria globata, clausa nigra, nitoris ex-  
pers, indurata *Batsch elench. cont.* 271. *fig.* 180. *Timm me-*  
*gap.* 1170.

Sphaeria globularis, gregaria globosa atra *Wild. prodr.* 1213.

Habitat in ligno dejecto, putrescente arborum.

In nudo ligno putredini corrupto crusta nidulatur lineam  
saepius crassa, nigra et colliculosa, quae accuratius inspecta ex in-  
numeris nigris confertis rotundis et induratis globulis Milii circiter  
magnitudinem aequantes vel qui etiam minores, conflata adparet.  
Sphaerulae hujus lenti subjectae, aliae observantur, quae juveniles  
magis videntur, coniformes, aliae ex eminentioribus in oblongam  
potius quam rotundam figuram ascendunt, extus scabrae sunt, basi  
etiam hirsutae apiceque papillatae, ex qua materiam farinaceam eji-  
ciunt. Dissecta Sphaeria praeter exteriorem corticem, intus laten-  
tem membranaceum albidum sacculum ostendit, vel viscoso liquore  
vel fermentiva farina repletum.

OBS. frequenter invenies non raram hanc Sphaeriam, quam etiam  
misi sub nomine huic imposito cel. Ehrhart,







---

 EXPLICATIO FIGURAE 3.

TAB. 3.

- A exhibetur ligni particula permultis illis conoideis Sphaerulis occupata.
- B Sphaeriae duae separatim naturali et aucta magnitudine pictae, ex ostiolo unius etiam si juvenilis et sat diu clauso, tamen ejicitur fermentiva materia.
- C magnus numerus insidens ligni frustulo; nativa magnitudine.
- D aucta per lentem Sphaeria absque visibili papilla.
- E alia aetate provectior, papillata.
- F tertia emittens ex ore fermentivam farinam.
- G transversim secta quarta intus cava et nigra. Haec ad lentem modice augmentem delineata. Superius figurae adpictae sunt naturali magnitudine.

## TABVLA IV.

FIG. I.

## 10. TRICHIA NIVEA.

*Trichia nivea*, perennis stipite flavescente filiformi, capitulo globoso niveo.

Habitat in arborum cortice rimoso.

Crusta a cinereo cortice vix distincta. Setae ex ea oriuntur duas tresve lineas altae, cylindricae albae, demum flavescens. Capitula laevia rotunda simplicissima, nivea, cortice conspicuo. Is rumpitur et pulverulentus fit, polline exeunte albido vel ochroleuco, filis annexo. Tales pulverulentos acervulos etiam in cortice sessiles observo. Testae nuda denticulatae superant.

## EXPLICATIO FIGURAE I.

TAB. 4.

Crasso dehiscente cortice plures *Trichiae* infidentes; nativa magnitudine.

A plantula capitulo integro.

B alia capitulo pulverulento.

C testa inanis.

D globuli pulverulenti vel hirsuti, vel filis annexi. Haec ad lentem vitream spectata.

## TABVLA IV.

FIG. 2.

## II. TRICHIA SPHAEROCEPHALA.

*Trichia sphaerocephala*, perennis, stipite cylindrico nigro, capitulo globofo, concolore.

*Mucor sphaerocephalus*, perennis, stipite filiformi nigro, capitulo globofo cinereo *Lin?*

Habitat in pariete, etiam in rimoso cortice.

Crusta leprosa cinerea, etiam flava, forsan a Byffo. Setae bilineares nigerrimae. Capitulum rotundum, superius plagula rupturae saepius distinctum. Cortice nigro rupto exit nigrum pollen, vilis intertextum, testa remanente cava vel complanata.

## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

TAB. 4.

Parietis ligno infidens *Trichiarum* cohors; naturali magnitudine.

A capitulum integrum plagula rupturae superius notatum.

B rupto cortice, vel

C inani testa, ad lentem picta *Trichia*.

## TABVLA IV.

FIG. 3.

## 12. TRICHIA LENTICVLARIS.

*Trichia lenticularis*, perennis, stipite nigro, capitulo lenticulari cinereo.

Mucor Lichenoides, perennis stipite subulato nigro, capitulo lenticulari cinereo *Lin?*

Lichen Sphaerocephalus, var.  $\beta$  *Web. spicil. 253.*

Habitat in ficco rimoso cortice.

Crusta leprosa, cinereo albicans arcte cortici adnata. Setae nigrae ex tuberculo oriuntur, priori altiores, lineares. Capitulum complanatum lenticulare, margine inflexo ad lentem subpiloso cinctum, extus cinereum in disco nigrum, tuberculosum. Semina atra sphaerica hirsuta.

Obs. an prioris varietas, quacum *Trichia petiolata nigra*, villo ochroleuco *Hall. hist. 2161. tab. 48. fig. 3.* non male praeter ochroleucum villum, quod in illa non observo conveniret. Aliam etiam habeo *Trichiam* crusta granulosa flava ex qua surgunt permultae setae nigricantes capitulo terminatae complanato, extus flavo margine cinctae, disco plane nigro solido; in alia consimili plantula cavo, crusta eadem.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.

TAB. 4.

Sylva hujus *Trichiae* nativa magnitudine pingitur.


A crustae particula cum binis *Trichiis*, ad lentem spectata.

B discus capituli extensiori forma separatim pictus.


C globuli illi sementivi, pulverulenti.

TABVLA


1.



2.



3.







## TABVLA V.

FIG. I.

## 13. LYCOPERDON EQUISETI.

Lycoperdon Equiseti, stipitatum: stipite bulbofo, capitulo subrotundo, ore tubuloso.

Lycoperdon minimum, pedunculatum, stipite bulbofo, capitulo subrotundo laevi, ore tubuloso multifido *Leers herb.* III7.

Habitat in Equiseti putrescentis stipitibus.

Ex minutissimis fungulis vix femilineam longis. Stipes satis crassus ampullaceus seu tuberosus basi, tenuissimis ac brevissimis fibris Equiseti adnascitur. Capitulum gerit ab initio globosum, annulato ostiolo depresso, diluti coloris in centro instructum, quod sensim elongatur in tubum, capitulo tum magis ovato, apice late patentem, margine vel integro vel fisso. Pollen purpureum ejicit. Color dilute sanguineus. Substantia tenax subpellucida. Ad lentem sollicitate inspectum, membrana duplici capitulum structum adparet.

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 5.

Innascuntur Equiseti funguli, naturali forma depicti.

A juvenilis plantula rotundo capitulo.

B alia provectior ex qua pollen erumpit.

C inanis, hiante magis orificio, oblongata. Haec ad vitream lentem modice augmentem picta.

C

## TABVLA V.

FIG. 2.

## 14. ELVELA BRASSICAE.

Elvela Brassicae, globosa rugosa sessilis.

Lycoperdon Brassicae, subterraneum rugosum congestum *Schreb. spicil.* 1096. *Hall. hist.* 2178.

Lycoperdon toleraceum, subrotundum nigrum congestum, sessile ac rugosum *Poll. pal.* 1199.

? Lycoperdon minimum, globofo - difforme solidum gregarium radice destitutum *Murr. in comment. Gött.* 1772. 83. *Syst. veget.* 881.

Sphaeria Brassicae, difformis atra, carne alba *Dicks. fasc.* 23.

Passim reperiuntur ad caules et nervos Brassicae, hieme defossae, subrotunda tubera, oblonga, reniformia in lobulos obscure divisa, magnitudine varia; vel solitaria vel 3 - 6 congesta. Ab initio exigui sunt nivei globuli, semini Coriandri aequales, intus medullam glaucam, in centro cavam occultantes; sensim fuscescunt, demum nigrescunt, glabra quidem, sed undique rugosa superficie; interior substantia lactea et spongiosa absque omni cavitate; exarescit denique superficies vel in liquamen resolvitur.

obs. varietas alia in rejectamentis hortorum vel ad putridos stipites legitur quoad formam priori non abfimilis, sed magnitudine longe extensiori, agarici formis, incertae figurae, superne convexa rugosa atra, subtus paulo excavata. Natura intus albida vel subrubella, solida fungosa.

---

**EXPLICATIO FIGURAE 2.**

TAB. 5.

Brassicae nervus undique fungillis obfitus.

A Elvela in tres lobulos obscure divisa.

B alia a superiori et

C inferiori facie.

D refecata ex alia particula.

E transversim secta. Haec naturali paulo auctiori forma.

F variae aetatis Elvelae naturali magnitudine pictae.

---

 TABVLA V.

FIG. 3.

## 15. ELVELA AVRIFORMIS.

Elvela auriformis, acaulis turbinata albido - flava.

?Peziza fessilis tota alba, hemisphaerica extus villosa *Hall. bist.*  
2232.

Habitat inter putrida folia, ad terram m. Octobr.


Vncialis diametro hemisphaerica vel tamen convexa, irregularis, inaequalis crassitie, margine inflexa. Exterius tenero, quasi mucido villo, aegre conspicuo, subtus in auriformem caveam deprimitur vel oblique in auriculae figuram abit, eminente in centro substantia. Color extus et intus flavo albescens. Natura semidiaphana. Radix brevissima.

## EXPLICATIO FIGVRAE 3.


T A B. 5.

Naturali magnitudine Elvela pingitur ab interiore parte spectata.

1.



2.



3.





## TABVLA VI.

FIG. I.

## 16. PEZIZA CORNUCOPIAE.

*Peziza Cornucopiae*, stipitata tubaeformis punctata.

Fungoidaster parvus, gelatinosus, lubricus, pileolo subviridi, oris  
subtus repandis, pediculo aureo, fistuloso *Mich. gen. 201. tab. 82.*  
*fig. 2.*

Fungus gelatinus flavus *Vaill. parif. 58. tab. 13. fig. 7-9.*

Elvela lubrica *Scop. carn. 2. 1609.*

Habitat locis fylvofis, in sepibus.

Cespitosae tubae oblique adscendunt, molles viscidae, cortice  
diaphano flavescente eminentibus punctis aspero; sursum concinne  
dilatatae, labro tumente replicato, subtus sinuato, e fusco flavescen-  
te, punctato. Substantia gelatinosa, superius in obliquum orificium  
excavata. Stipes rotundus factus flava succulenta medulla.

Obs. species confimiles male cum nostra planta miscentur.

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 6.

Ab anteriori et averfa facie specimina naturali forma depicta.  
A ad perpendiculum dissectus fungus.

## TABVLA VI.

FIG. 2.

## 17. PEZIZA INFUNDIBVLVM.

Peziza Infundibulum, sessilis extus hirsuta, intus nigerrima.

Peziza sessilis infundibuliformis, extus hirsuta umbrina intus nigerrima *Hall. hist.* 2219. *tab.* 48. *fig.* 3. *Leers herb.* 1094.

? Tremella Agaricoides, stipitata nigra inquinans, pileo subconvexo  
*Retz prodr.* 1424. *Willd. prodr.* 1215. *Timm megap.* 1042.

Habitat in arborum caudicibus, in truncis lignorum.

Cespitosa planta. Ab initio obverse conica vel obtusa, inde magis dilatatur in conii speciem sursum latiore, operculo seu membrana disci plana, marginata aterrima nitida; dein expansa, planoconvexa, paulatim superficies deprimitur, saepius cava; ultimo margo evanescit et medius discus dehiscit, carnemque interiorem viscosam fuscam offert. Tota planta colorem habet exterius umbrino fuscam, madefacta in fulvum vergentem, superficiem hirsutam. Semina quae inferiori parte affixa intus latent, magnitudine seminis Papaveris. Ex siccitate commutat figuram, quam denuo aqua reviviscens acquirit.


## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

TAB. 6.


Diffracli putrescentis ramuli portio Pezizis omnis aetatis e rimoso cortice varia forma prodeuntibus.



1.



2.





## TABVLA VII.

FIG. I.

## 18. PEZIZA EXILIS.

*Peziza exilis*, plana marginata, ore tumido piloso.

*Peziza minima lutea verna* *Gled. fung.* 45. VIII. ?

? *Peziza humida exilis*, laete rubicunda *Hall. bist.* 2245. *Leers herb.* 1096. 1101.

Habitat in putrescente ligno.

*Exilis* in ligno putrido, aegre visibilis, juvenilis planta in *Scyphum* quasi contracta, diameter intra lineam; aetate ad duas lineas increfcit, discus magis explicitus carnosus fulvus, limbo piloso tumido cinctus.

## EXPLICATIO FIGVRAE I.

TAB. 7.

Naturali magnitudine diversae plantulae pinguntur, una ex iis ad lentem auctiori figura repraesentata.

## TAVLA VII.

FIG. 2.

## 19. PEZIZA GLABRA.

Peziza glabra, sessilis plana exalbida, margine convexo glabro.

Peziza sessilis aurantia, plana annulata *Hall. bist.* 2242?

Icon *Vaill. tab.* 13. *fig.* 14.

Habitat in Muscis varii generis.

Muscis innatat levissimo tactu decidua, orbiculata, diametro aliquot linearum; discus parum excavatus, umbilico in centro prominulo quasi instructus, margo convexus subrubet. Subtus nullus petiolus, at verrucula sensim crassior subnascitur.

## EXPLICATIO FIGVRAE 2.

TAB. 7.

Peziza ab interiori et superiori facie spectata.

---

 TABVLA VII.

FIG. 3.

## 20. PEZIZA CILIATA.

*Peziza ciliata*, plana sessilis, margine ciliata.

*Fungoides coccineum*, lentiforme, oris pilosis *Mich. gen. 207. tab. 86. fig. 19.*

*Elvela ciliata Scop. carn. 2, 1620. Schaeff. fung. III. tab. 284.*

*Peziza scutellata*, plana margine convexo piloso *Lin?*

*Peziza scutellata*, sessilis plano - convexa, margine piloso *Wild. prodr. 1171?*

Habitat in arborum radicibus, inter Muscos ad terram.

Discus laevis orbiculatus planus, in centro tamen subdepressus, ubique extus margine subacuto dilutioris coloris purpurascens et fuscis ciliis oblitus. Inferius petiolus brevissimus, hemisphaericus

## EXPLICATIO FIGURAE 3.

TAB. 7.

*Peziza* ab inferiori et superiori facie spectata.

---

 TABVLA VII.

FIG. 4.

## 21. PEZIZA SERRATA.

*Peziza serrata*, minutissima subspitata, margine ferrato.

Icon *Flor. Dan.*

*Peziza minima* petiolata, coccinea, hirsuta *Hall. hist.* 2240?

E ligni putrescentis superficie é nascuntur parvae aciculae capite non majores plantulae, albiae exterius subtilissime pilosae, brevissimo petiolo infidentes, ut potius sessiles adpareant. Juvenilis *Peziza* in globum contracta, exiguo orificio aperta, sensim dilatato, marginisque ferraturis explicatis. Natura plantulae ceracea firmula, intus carnei coloris.

## EXPLICATIO FIGVRAE 4.

TAB. 7.

*Pezizae* ligno innascentes, naturali magnitudine.

- A juvenilis in globum contracta.
- B altera explicata in cupulam.
- C tertia aetate provectior perfecte explicata.

---

 TABVLA VII.

FIG. 5.

## 22. PEZIZA POCVLIFORMIS.

*Peziza poculiformis*, petiolata piriformis cava coccinea.

Habitat mense Martio in ficcis virgultis.

Globosa cupula sensim in petiolum abit [sicque piri inversi formam acquirit. Superficies glabra, nivea, demum ex caeruleo rubra, substriata. Cupula, intus hemisphaerica, cava, eleganter coccinea; versus marginem contracta, margine tamen erecto subtilissime fisso seu denticulato, flavescente. Natura carnosae, petiolus alba solida carne farctus.

## EXPLICATIO FIGVRAE 5.

TAB. 7.

*Peziza* solitarie virgulti fragmento infidens;

A ad perpendiculum dissecta; naturali forma ac magnitudine.

---

 TABVLA VII.

FIG. 6.

## 23. PEZIZA HEMISPHERICA.

*Peziza hemisphaerica*, sessilis extus hirsuta spadicea.

*Peziza sessilis hemisphaerica* extus villosa, spadicea *Hall. hist.* 2231.

Elvela albida *Schaeff. fung. II. tab.* 151.

Habitat in terra sub putridis foliis ad truncos Coryli, in sylvis mense Octobri.

Magnitudo glandis minoris cupula, basi sessilis, brevissimis radiculis, extus villis spadiceis ad marginem hirsutiae exstante instructa; intus glabra, e caeruleo albida, cava hemisphaerica. Natura subcoriacea.

## EXPLICATIO FIGURAE 6.

TAB. 7.

A B C variae aetatis ac magnitudinis cupulae pictae, quae vel gregatim vel solitarie crescere solent.



## TABVLA VIII.

## FIG. I.

## 24. CYATHVS CRVCIBVLIFORMIS.

Cyathus crucibuliformis, inverſe conicus marginatus luteus.

Cyathoides luteum crucibuliforme *Mich. gen. 222. tab. 102. fig. 3.*

Peziza ſeffilis campanulata exigua aurea et glabra *Gled. fung. 138.*

Peziza crucibuliformis *Scop. Carn. 2, 1630. Schaeff. fung. II. tab. 179.*

Cyathus cylindricus, arrhizus totus glaber *Wild. prodr. 1161?*

Peziza pyxis, conico-cylindrica, integra, glabra ſulphurea ochracea *Batſch elench. 129. Timm megap. 1181.*

Habitat in putridis lignis, columnis, palis, in vafis ligneis; Vere et Autumno.

Vel ſolitarie vel confertim naſcitur; juvenilis convexus, urceolatus, operculo ſeu membrana tectus, tumente margine cinctus; hac diſrupta parvo crucibulo ſemipollicari, luteſcente ſimilis; intus lentiformes capſulas fovet.

---

**EXPLICATIO FIGVRAE I.**

TAB. 8.

Fragmentum putridi ligni, oblitum Cyathis partim membrana teclis, partim rupturam parantibus; naturali forma ac magnitudine.

## TABVLA VIII.

FIG. 2.

## 25. CYATHVS LAEVIS.

*Cyathus laevis*, campanulatus laevis.

Fungoides infundibuliforma, femine foetum *I. R. H.* 560. *Vaill. parif.* 56. tab. 11. fig. 6, 7.

Cyathoides cyathiforme, cinereum et veluti sericeum *Micb. gen.* 222. tab. 102. fig. 1. *Batt. fung.* 26. tab. 3, i - m.

*Cyathus sericeus intus laevis* *Hall. hist.* 2215.

*Peziza fessilis*, corpore campanulato, integerrimo *Gled. fung.* 137, 1.

*Peziza cyathiformis* *Scop. Carn.* 2, 1629.

*Peziza lentifera*, campanulata lentifera *Linn. syst. veg.* 979. *Spec. plant.* 1649. *Syst. plant.* 4, 616. *flor. suec.* 2, 1271. *Roy. lugtb.* 578. *Gort. belg.* 2, 328. *Gunn. norw.* 515. *flor. Dan.* 105. *Leers herb.* 1084. *Poll. palat.* 1186. *Retz prodr.* 1610. *Huds. angl.* 2, 633. *Rehb. cantabr.* 963. *Leyf. hal.* 2, 1256. *Timm megap.* 1179. etc.

*Peziza sericea* *Schaeff. fung. II. tab.* 180.

*Peziza olla* *Batsch. elench.* 127. α.

*Cyathus laevis*, campanulatus externe villosus, interne laevis *Wild. prodr.* 1159.

Habitat Vere et autumnno in hortis, pomariis, vinetis, in terra glareosa, in sudibus et asseribus, in lignis putridis.

Infundibulum femunciale  $\frac{2}{3}$  unciae latum, aemulantur gregatim nascentes sessiles fungi, excepto parvo bulbillo de quo planta radices emittit; substantia coriacea membranae similis, extus cinerea,

brevi aegre visibili pube obducta, intus glabra, argentei vel paulo obscurioris coloris. Juvenilis cyathus velo albo, veluti gossypinae texturae superius obducitur, plano ceterum subfulvo, vel sericeo; margine prominente demum evanescente. Interior cavitas plura rotunda plano convexa, cervina corpuscula gestat, in quorum medio foveola tenuis et exilis emittit filamentum tenue, cujus ope receptaculo gelatinoso fundo adhaerent, et terrae immissa radices agunt. Etenim superior facies intumescit et margo elevatur. Hoc tempore apertum corpusculum semina minuta in sinu fovet, quod itaque potius capsula seminalis quam semen ipsum dicendum.

### EXPLICATIO FIGURAE 2.

TAB. 8.

Fragmentum ramuli cui plures et variae aetatis Cyathi insident.

A maturescens Cyathus dissectatus corpuscula sua excutit.

B corpuscula lentiformia.

C etiam a latere oblique spectata.

1.



2.



3.



4.



5.



6.





## TABVLA VIII.

FIG. 3.

## 26. CYATHVS STRIATVS.

Cyathus striatus, campanulatus striatus.

Cyathoides cyathiforme, obscurum, externe hirsutum, interne plumbeum, glabrum, et striatum *Mich. gen. 222. tab. 102. fig. 2.*

Fungoides infundibuliforma, femine foetum, interne striatum, externe hirsutum *Vaill. parif. 57. tab. 11. fig. 4, 5.*

Peziza sessilis campanulata, extus pilosa et fusca, intus striata, plumbea, glabra *Gled. fung. 138. α.*

Cyathus hirsutus intus striatus *Hall. hist. 2215.*

Peziza (lentifera)  $\beta$  *Linn. l. c. Oed. tab. 469. fig. 1.*

Peziza hirsuta *Schaeff. fung. II. tab. 178. Batsch elench. 127, 32.*

Peziza striata, campanulata lentifera villosa, interne striata *Huds. angl. 2, 634. Timm megap. 1180. Relch. cantab. 962.*

Cyathus striatus campanulatus externe hirsutus, interne striatus *Wild. prodr. 1160.*

Habitat in sylvis inter muscos ad terram, in putridis truncis, gregatim.

Valde ad priorem accedit, sed differt infundibulo angustiori, inverse ab initio conico, albido membranaceo velo, deciduo tecto; extus crasso nigricante villo vel fusco squamoso praeter discum munitus; bulbillo insidet crassiori subrotundo, radículas emittente. Interior cavitas laevis, margo erectus fusco nigricans, dilatatus sensim, et profunde a circulo maximo ad basin striatus. Cavitas Cyathi mediam partem vix attingit, reliqua parte materia glutinosa

E

---

farcta. Corpuscula lentiformia argentea minora quam in priori,  
numerum quinarium rarius excedunt.

EXPLICATIO FIGVRAE 3.

T A B. 8.

A Cyathus velo tectus in medio dehiscit.

B alius margine erecto.


C tertius marginem dilatat.



1.



2.



3.

